



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mataeologia Labadiana: Das ist; Widerhohltes und vermehrtes Bedencken/ Was nach anweisung der Heil. Göttl. Schrift und Gottseeligen Antiquität/ wie auch der gemeinen Evangelisch-Lutherischen/ ...**

**Nifanius, Christian**

**Bilefeldt, 1673**

Exercitatio praeliminaris De Donatismo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35601**



## Exercitatio præliminaris DE DONATISMO.

Cum *Mateologia Labadiana* magnam in multis gerat affinitatem cum veteri *Donatistarum* hæresi, nonnulla de *Donatismo* in antecessum præmittere volui. Itaq; observo

### I. Donatistarum Originem.

Sub initium *seculi quarti* Carthaginem convenerunt Episcopi, ut in locum *Mensurii* defuncti constituerent Episcopum *Cecilianum*, Diaconum antea Carthaginensem. Ea res pessimè habuit *Botrum & Calesum*, qui Episcopatum illum ambiebant. Accessit ad factionem *Lucilla*, fœmina opulenta & potens ob superstitionem quandam olim à *Ceciliano* objurgata. Calumniandi causam hinc inde querebant. Primum calumniabantur ejus *Personam*, quod *Traditor* esset. Appellabantur autem *Traditores*, Interprete *D. Job. Henichio* part II. Hist. Eccles. & civ. cap. 2. pag. 57. qui in persecutione *Diocletiani & Maximiniani* S. Scripturæ libros flammis absumendos tradiderant. Deinde calumniabantur ejus *ordinationem*, quam illegitimam esse pronuntiabant, quod à *Felice* Traditoris nomine infami facta. Ita *Cecilianus* non solum accusatus, sed etiam quasi accusasse satis, absens condemnatus est. Quare in ejus locum *Majorinus*, qui *Ceciliani* Diaconus fuerat, Episcopus renunciatur, missis, undique *Cecilianum & Felicem* infamantibus, electionemq; *Majorini* intimantibus literis. *Majorino* successit postea *Donatus*, à quo *Donatistarum* nomen accepit, quæ prius *Majorini* pars erat dicta. Intelligendumq; *Donatum*, alterum *Masculitanum*, alterum *Calamensem*, quorum prior sectam condidit. alter hæresin. Fuerunt namque duo *Donati*, uterque schismatici, unus cognominatus est à *Casis Nigris*, quæ de Numidia venientem *Lucilla* superius memorata hospitio excepit: Alter, teste *Opta-*



to Milevitano lib. III. contra Parmenianum, *Donatus Carthaginis* est dictus, qui primus à schismaticis contra *Cecilianum* constitutus Pseudo Episcopus fuerat. *Baronius* quidem censet, *Donatum à Casis Nigris* non solum Originem, sed etiam nomen sectæ Donatistarum dedisse; sed *D. Henrichio* pag. 60. verior esse videtur *B. Augustini* sententia, secundum quem *Donatus Numida* dictus à *Casis Nigris* initium quidem & originem schismati Donatistarum dedit, sed nomen à *Donato*, Majorini successore, secta illa demùm accepit. Verba *Augustini* hæc sunt lib. de hæresibus ad Quod vult Deum cap. LXIX. *Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, contra Cecilianum Christianum dividens plebem adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum. Cui Majorino Donatus Episcopus alius in eadem divisione successit, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresin, ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari.* *Alfonsi de Castro Zamorensis Minoritæ Lib. VI* adversus hæreses, titulo *Ecclæs. Censura* hæc est: *Non possum hic tacere, ait, quæ hoc loco Bernardus de Lutzenburgo in suo catalogo hereticorum, de Donatistis loquens, ait. Hic autem eum dixisset Donatum, primum videlicet (ut ex ejus litera facile est conjicere) fuisse temporibus Constantij Imperatoris & Iulij Papæ (quod id quidem bene, Platinâ illi favente in vita Liberij Papæ) postea subjungit dicens, Cyprianum Cartaginensem Episcopum scripsisse diversos tractatus & epistolas adversus hunc Donatum. Quis jam ferre poterit hominem toties in eundem lapidem offendentem? Cyprianus siquidem tempore Cornelij Papæ fuit, & eodem die, quo Cornelius Romæ, quamvis non eodem anno, Cyprianus Carthagine sub Valeriano & Galieno Principibus (ut Hieronymus ait) passus est. A Cornelij autem passione usq; ad Iulium, sub quo Donatus fuit, septuaginta aut plures anni intercesserunt. Qui sit ergò, ut Cyprianus scribat adversus Donatum septuaginta annis ipso posteriore? Et certe (ni memoria me fallit) in omnibus Cypriani operibus nulla est mentio de aliquo Donato, præterquam in secundo libro, cujus secunda epistola est ad quendam Donatum,*

tum,



rum, in qua nec nomen hæreseos positum est, nec de hæresi ulla memoria, sed solum enarrat Donato in illa epistola qualiter fuit ex gentibus ad fidem Christi conversus, & mundi laqueos illi declarat, ut hac occasione tantum illum redderet. Verum hic bonus homo fortè legens epistolæ solum titulum, putavit illum esse Donatum hæresiarcham, cum tamen constet esse alium hæreticum vetustiore. Hæresin autem suam Donatistæ non invenerunt, sed ante se à Novatianis disseminatam renovarunt. Vide Augustinum hæresi LXIX. & Daneum in comment. super h. l. Horum principalis error versabatur circa denegatam enormiter lapsorum in communionem Ecclesiæ restitutionem. Quemadmodum Felicissimus Novati satelles contendebat, lapsos continuo esse recipiendos, dummodo libellum à Martyribus & Confessionibus offerrent; sic contrario errore Novatianus Novati artibus Episcopus factus, lapsos nequaquam in communionem recipiendos putabat, quippe quibus nulla amplius spes salutis superesset, quantumvis omnia, quæ ad veram conversionem pertinent, peragerent. Ita testantur Cyprianus initio libri ad Novatianum hæreticum pag. 385. Theodoretus hæret. fabul. III. 5. pag. 229. comment. in epist. ad Gal. V. 19. Nicephorus Callistus Eccles. hist. VI. 5. pag. 264. Epiphanius lib. II. hæret. 39. velut alij 59. Pacianus epist. III. ad Sympronian. Socrates lib. IV. Hist. Eccles. cap. 23. Philastrius Brixien. lib. de hæres. cap. 34. Novatiani sententiam sic explicat Chemnitius Noster part. 2. exam. Concil. Trident. p. 317. Ambrosius, inquit, Novatianorum opinionem ita describit: Pœnitentibus post lapsum non simpliciter sanè præcidendam esse omnem spem veniæ: Sed Sacerdotes nec posse nec debere illis, ministerio Evangelij remissionem peccatorum annunciare vel absolutionem impertiri, ne Dei, sicut simulabant, partes audaci temeritate sibi usurparent. Illos igitur, qui extra & præter ministerium verbi & sacramentorum, vel quærunt, vel quærendam docent reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum, serio improbat Augustana Confessio. Plenius de Novatianorum sententia differit ibid. art. de fide justif. pag. 308. Gabr. Albaspinæus Aurelianens. Episcop. obser-

vat.



vat. de veter Eccles ritib. lib. 2. observ. 21. hæc tradit:  
 Novatianorum error in eo positus, quod opinarentur Deum  
 ipsum Ecclesie neq; remittendorum, neq; retinendorum pec-  
 catorum capitalium potestatem copiamq; fecisse. Et mox:  
 Novatiani igitur Christum Dominum in Ecclesiam suam hanc  
 auctoritatem potestatemq; (ligandi atq; solvendi) transfu-  
 disse inficiabantur. Dionys. Petavius animadv. ad Hær.  
 LIX. Epiphan. p. 227. Sciendum est, non pro eo, quod  
 Lapsos ad communionem, Ecclesiasticam pacem admittendos  
 negarent, Novatum & Novatianum Hereticos habitos,  
 atq; ab Ecclesia Catholica proscriptos fuisse: sed quod nullum  
 ad eos reconciliandos, condonandaq; delicta jus in Ecclesia  
 esse perfidiosè ac crudeliter asseverarent. Quod, inquam,  
 clavium, ut vocant, potestatem Ecclesie ac Sacerdotibus  
 detraherent, ut reliquos eorundem errores omittam, Nova-  
 tiani tanquam heretici damnati sunt. Calvinus ipse, post-  
 quam Instituit. lib. IV. cap. I. sect. 22. dixisset, tria hæc  
 observanda esse: Primum quantalibet sanctitate polleant  
 Filij Dei, hac tamen conditione semper esse, quandiu in mor-  
 tali corpore habitant, ut sine peccatorum remissione consiste-  
 re nequeant coram Deo; Deinde hoc beneficium esse Ecclesie  
 proprium; tertio per Ecclesie ministros dispensari, vel Ev-  
 angelij Prædicatione, vel Sacramentorum administratione,  
 atq; hac in parte maximè eminere clavium potestatem,  
 quam Dominus fidelium societati contulit, seq. sect. 23. ita  
 pergit: Quoniam autem phrenetici illi, quos dixi, Spiritus  
 hanc unicam salutis anchoram eripere Ecclesie conantur;  
 adversus tam pestilentem opinionem fortius roboranda sunt con-  
 scientie. Novatiani olim isto dogmate Ecclesias exagitarunt,  
 sed Novatianis non multum dissimiles nostrum quoq; seculum  
 habet quosdam ex Anabaptistis, qui ad eadem deliramenta  
 delabuntur. Fingunt enim regenerari Dei populum in ba-  
 ptismo in puram & angelicam vitam, quæ nullis carnis sordi-  
 bus vitietur. Quod si post Baptisma quis delinquat, nihil  
 præter inexorabile Dei iudicium illi relinquunt. Breviter,  
 peccatori post acceptam gratiam lapsa spem veniæ nullam faci-  
 unt, quia non aliam agnoscunt peccatorum remissionem,  
 nisi quæ primum regeneramur. Similiter Fossius disp. XIX.



de Bapt. th. II. *Novatiani proprium hoc dogma erat, quod lapsos diceret Dei uni committendos, facturo de iis, quod vellet: neutiquam vero recipiendos esse in Ecclesiam, quæ ignoscendi illis non haberet potestatem. Idcirco sectatores ejus sese κατὰ τὸν ἁγίου h. e. puros vocabant: ut qui non tantum lapsu se minimè polluissent; sed ne communicando quidem cum lapsis, ut ceteri fecerant. Prælusere jam olim Montanista, à Montano, Pseudopropheta provenientes, qui ad omne penè delictum, sunt verba Hieronymi epist. 54. ad Marcellum, Ecclesia obserarunt fores, & censente Philostorgio lib. 8. Hist. Eccl. hoc ipso Virus suum Novatianis propinarunt. Successores habuerunt Apostolicos, Meletianos, Messalienses, qui se Spirituales, ceteros vero homines Carnales nominabant. Fingebant Ecclesiam ab omni labe immunem; hominem statuebant ad perfectionem & æqualitatem Dei humana virtute ac scientia eò pervenire posse, ut nec cogitatione quidem & ignorantia possent peccare, secundum Hieronymum dial. adv. Pelagium in præfat. Sicuti ergo labentes è cætu suo putativè sancto ejiciebant; Ita nec ipsos ad penitentiam admittebant: Concludit rectè Damascenus hæres. 80. Successores habuerunt Donatistas, quorum quidam circumcelliones dicebantur, qui alios tanquam peccatores insana feritate trucidabant. Si igitur lapsos non tolerarunt, multo minus eis veniam dederunt, eandemq; ita cum Novatianis aliquo modo infarunt tibiã, ut ostendit Augustinus & ex eodem Damasceni cit. loc.*

## II. Donatistarum propagationem.

**L**atissimè citò propagata fuit *Donatistarum hæresis*, sed vi magis, quam doctrina. Erupit subinde magis & magis, etiam in horrendas persequutiones Ecclesie Catholicæ, in primis seculo quarto exeunte, & quinto, de quo ita Augustinus epistola L. ad Bonifacium: *Iam nos prævenerant, inquit, ex aliis locis quedam Episcoporum quarela gravissima, quæ mala fuerant ab ipsis multa*  
*per*



perpeſſi, & à ſuis ſedibus exturbati: præcipuè horrenda & incredibile cædes Maximiani Episcopi Catholici Eccleſiæ Vagiensis effecit, ut noſtra legatio jam, quid ageret, non haberet. Iam enim lex fuerat promulgata, ut tanta immanitatis hæreſis Donatiſtarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipſa ſerviebat, non tantum violenta eſſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impune: non tamen ſupplicio capitali propter ſervandam etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſiti: & in Episcopos vel miniſtros eorum exilio conſtituto, Supra dictum quippe Episcopum Vagiensem, quoniam apud ordinarium Iudicem dicta inter partes ſententia, obtinuerat Baſiicam, quam illi, quum Catholica eſſet, invaſerunt, ſtantem ad altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, ſuſtibus & huiusmodi telis, lignis deniq; ejuſdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percufferunt in inguine, quo vulnere ſanguis effluens cum exanimem redderet, niſi ei ad vitam major ſervitia eorum profuiſſet. Nam quum graviter ſauciatum per terram in ſuper traherent, exundanti venæ pulvis obſtruſus ſanguinem obtinuit, cujus effuſione ibat in mortem. Deinde quum ab eis tandem relictum, noſtri cum Pſalmis auferre tentarent, illi ira ardentiore ſuccenſi, eum deportantium manibus abſtulerunt, malè multatis, fugatisq; Chatholicis, quos ingenti multitudi-  
 ne ſuperabant, & facile ſerviendo terrebant. Inde in quondam turrem levatum, jam defeciſſe arbitrantes, quum ille adhuc viveret, abjecerunt. Sed quodam molli aggere exceptus, & à quibusdam nocte tranſeuntibus per lucernam conſpectus, agnitus atq; collectus, & ad religioſam domum apportatus, adhibita magna cura poſt multos dies cum ab illa deſperatione recreatus eſſet, occiſum eum tamen fame ſcelere Donatiſtarum etiam trans mare nunciaverat: quo poſtea quam venit, & vita ejus inopinatiſſima apparuit, cicatricibus ſuis, tam multis, tam ingentibus, tam recentibus, non fruſtra fama mortuum, ſe nunciaviſſe monſtravit. Et nonnullis interjectis: In quibusdam vero locis, ubi pertinacior & impacatior prevaluit multitudo, cui reſiſtere non poterant pauciores, quorum erat melior de communionem ſen-



tentia, aut turbae auctoritati paucorum potentiorum subditi  
in malam partem obtemperarunt; aliquantò diutius labora-  
tum est. Ex his sunt, in quibus adhuc laboratur, in quo la-  
bore multi Catholici, & maximè Episcopi & Clerici horren-  
da & dura perpeß. sunt, quæ commemorare longum est, quan-  
do quorundam, & oculi extincti sunt, & cuiusdam Episcopi  
manus & lingua præcisa est: nonnulli etiam trucidati sunt.  
Taceo crudelissimas cedes & domorum depraedationes, per no-  
cturnas aggressiones, & incendia non solum privatorum ha-  
bitaculorum, verum etiam Ecclesiarum, in quas flammæ non  
desuerunt, qui & Codice Dominicis mitterent. Hinc fa-  
ctum, ut progressu temporis Donatismus periculosis incre-  
mentis Africam involveret. Donati partibus accedebant  
Lucianus, Dignus, Hassutius, Capianus, Fidentias &c. Hi  
ab Imperatore Constantino Iudices à Gallis sibi dari pete-  
bant. Exemplum literarum hoc est: Rogamus Te, & Con-  
stantine, optime Imperator, quoniam de genere iusto es, cuius  
Pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit,  
& ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa in-  
ter nos & ceteros Episcopos, contentiones sunt: Petimus, ut  
de Gallia nobis Iudices dari præcipiat pietas tua. Data à Lu-  
ciano, Digno &c. & ceteris Episcopis partis Donati. Irri-  
tatus hac epistola Constantinus pacis amantißimus, indi-  
gnabundus rescribit: Petitis à me in seculo iudicium, cum  
Ego ipse iudicium Christi expectem. Quare minus faventem  
sub eo fenserunt fortunam. Nam primus leges contra eos  
condidit, & Basilicas hæreticis ademit, teste Augustino  
contra Petilianum lib. II. cap. X. ut ita Donatistarum schis-  
ma aliquandiu consopitum fuerit. Sed postmodum in-  
flammas q. erupit Iuliani Apostate temporibus, qui  
omnia ea curans quibus Christianis ægrè fieri posset, Da-  
natistas evexit, & potestatem in Catholicos pessimè con-  
cessit, ut horum inveniretur mira paucitas, teste Augusti-  
no lib. II. advers. Petilianum cap. LXXXIII. Sollicita-  
tus quoque Iulianus à Donatistis precibus adulationis ple-  
nis (dicebant enim Donatistæ apud solum Julianum habi-  
tare Iustitiam) confestim ipsis permisit, ut ex exilio ad Ba-  
silicas suas redirent. Historiam illam Optatus lib. II. sic  
descri-

E

descri-



describit: Hoc eodem tempore Duces & Principes vestros merita relegaverant sua. In Ecclesia nulla fuerant schismata, nec Paganis licebat exercere sacra sacrilega. Pax Deo placita apud omnes Christianos populos habitabat: Diabolus morabat in templis, vos in regionibus alienis. Deinde alter, ut omnibus notum est, secutus Imperator, vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, Apostatam se dictis suis testatus est. Quem precibus rogastis, ut reverti possetis. Quas preces si vos negatis misisse, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogastis, re præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbendam pacem cum furore esse venturos. Erubescite, si ullus est pudor. Eadem voce vobis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri iussa sunt templa. Eisdem penè momentis vester furor in Africam revertitur, quibus Diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis. Venistis rabidi, venistis irati, membraniantes Ecclesiæ: subtiles in seductionibus: in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres, cum conducta manu venientes, Basilicas invasistis, multi ex numero vestro per loca plurima (quæ sub nominibus dicere longum est) cruentas operati sunt cædes, & tam atroces, ut de talibus factis ab illius temporis Iudicibus relatio mitteretur. Sed intervenit & occurrit iudicium Dei, ut ille, qui vos jamdudum redire iusserat, Imperator profanus & sacrilegus, moreretur: qui persecutionem, vobis provocantibus, jam miserat, aut mittere disponebat.

### III. Donatistarum variam denominationem.

Variis Donatistæ nominibus sunt appellati. Ab huius hæreseos Patronis dicti fuere *Majorini* à Majorino Episcopo Schismatico Carthagini; *Parmenianiste*, à Parmeniano, acerrimo Donatistarum Defensore & Patrono; *Rogatenses* vel *Rogatiste* à Rogato; *Maximianiste* à Maximiano, testibus *Optato* & *Augustino* diversis in locis. A moribus appellati fuere *Montenses* & *Campates*, sive *Campi*



te, quod circa Romam in campis & montibus clam convenirent, qua de re ita Hieronymus in Chronico ad annum Domini CCCLVI. Donatus à quo Donatiani dicuntur, Carthagine pellitur. Quidam sectatores ejus etiam Montenses vocant, eo quod Ecclesiam Romæ primum in monte habere cœperunt. Donatistas quoque ipse intelligit, cum epistola CXXXIII. ad Marcellum ita scribit: Nuper quum Rhetici Augustodunensis Episcopi, qui quondam à Constantinopolitano Imperatore sub Sylvestro Episcopo, ob causam Montensium missus est Romam, commentarios in Canticum Canticorum perlegissem &c. Idem Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos in fine eosdem Donatistas Campitas quoque appellat. Communiter etiam Circumcelliones fuerunt vocati, quod in agris cellas quosdam & tuguriola, veluti austeram Eremitarum vitam imitantes, haberent. De his aliisq; appellationibus prolixè differit D. Henrichius part. 2. hist. Eccl. & civil. cap. II pag. 61. seqq. Præterea jactabant Donatista se esse Catholicos. Sed ijs responsum à Judice apud Augustinum in collatione tertij diei, quod debeant laborare magis, ut re ipsa ostendant se esse Catholicos. Nam ita scribit Augustinus tract. V in epist. Johan p. 21. Tom. IX. Quomodo ergo gloriaris te esse Christianum? Nomen habes, & factum non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent; quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur. Etiam Marcionite, Valentiniani, Ariani, Novatiani se Catholicos appellari volebant. Sed Catholicum est aliquid vel solo nomine, vel re ipsa. Quid nomen efficit, ubi res deficit. Nomina sine rebus sunt sonora mendacia. Quod plenius deduxi in ostensione Historico-Theologica, quod glor. Imperator Carolus M. in quæ plurimis fidei articulis formaliter non fuerit Papista. Tit. IX. §. 3. 4. pag. 641. seqq.

## I V. Donatist. errorum enumerationem.

**H**I pro distincta locorum Theologicorum consideratione



tione fuerunt varij Circa locum. *I. de Scriptura Sacra*  
*pro fidei principio constituerunt simul traditiones, autori-*  
*tatem Episcopalem, miracula, exauditiones ad sepulchra,*  
*mortuorum visiones, teste Augustino contra epist. Perili-*  
*ani. Tom. VII. nec non epist. CLXV. Tom. II. Hinc*  
*Optatus Melevitanus in controversia de anabaptismo ad*  
*nullum alium iudicem, quam ad Evangelium (scilicet scri-*  
*pturam) provocat. Eubet ipsa Viri sanctissimi verba appo-*  
*nere. Vos, ait, lib. V. contra Parmenianum (Donatistæ)*  
*dicitis, licet, (iterare baptismum) Nos dicimus, non licet.*  
*Inter licet vestrum, & non licet nostrum, natant & remi-*  
*gant animæ populorum. Nem, vobis credat, nemo nobis:*  
*Omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt Iudices.*  
*Si Christiani de utraq; parte dari non possunt, quia studis ve-*  
*ritas impeditur, de foris quærendus est Iudex. Si Paganus,*  
*non potest nosse Christiana secreta: Si Iudæus, inimicus est*  
*Christiani baptismatis Ergo in terris de hac re nullum po-*  
*terit reperiri iudicium. De cælo quærendus est Iudex. Sed*  
*ut quid pulsamus ad cælum, quum habeamus hîc in Evange-*  
*lio testamentum. Quia hoc loco rectè possunt terrena cæle-*  
*stibus comparari. Tale est, quod qui vis hominum habens*  
*numerosos filios, his quam diu Pater præsens est, ipse imperat*  
*singulis, non est adhuc necessarium testamentum. Sic enim*  
*Christus, quam diu præsens in terris fuit (quamvis nec modo*  
*desit) pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis im-*  
*peravit. Sed quomodo terrenus Pater cum se in consilio sen-*  
*serit mortis timens, ne post mortem suam ruptâ pace litigent*  
*fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore mori-*  
*turo transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter*  
*fratres contentio nata, non itur ad tumultum, sed queritur*  
*testamentum: & qui in tumulto quiescit tacitis de tabulis lo-*  
*quitur vivus. Is, cujus est testamentum, in cælo est. Er-*  
*go voluntas ejus, velut in testamento, sic in Evangelio, in-*  
*quiratur. Confer meine bescheidentliche Beantwortung*  
*der Haupt-Gründe / dadurch Lic. And. Fromm zur Röm-*  
*misch Catholischen Kirchen zutreten / bewogen worden pag.*  
 11. 4 115. 198. 210. 211.

2. de SS. Trinitatis mysterio minus orthodoxè senserunt,  
 teste



teste Augustino, cuius verba cap. LXIX. lib. de hæresibus hæc sunt: Extant scripta ejus (Donati) ubi apparet, eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam; sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum Sanctum. Addit tamen Augustinus: Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatarum multitudo intenta non fuit: nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse novit, invenitur.

3. De Ecclesia docuerunt, Catholicam Ecclesiam, quæ antea toto orbe fuerat dispersa, postea toto orbe periisse propter crimina Cæciliani Episcopi & remansisse in sola ea parte Africa, quæ Donato adhaerebat, ita refert Becanus tom. V. opusc. 5. quæst. I. concl. IV. num. 55. p. 1308. opp. Gregorius de Valentia lib. VI. Anal. cap. 3. p. 35. Cathari, ait, Donatistæ & Anabaptistæ commenti sunt, Ecclesiam ex iis tantum hominibus constare, qui gratia & charitate perfecti sunt, neq; ulla sint infecti peccati macula. Epitomator annalium Baronij pag 219. E. Donatistæ, inquit, ex traditoribus schismatici facti, hæretici evadunt, cum Novatianis rebaptizantes, & Ecclesiam asserentes esse non posse, ubi peccatum est. Si ergo tolerarunt mæchos & fraudatores, vel alio respectu id factum, vel sibi ipsis fuerunt contrarij. Calvinus lib. IV. instit. cap. I. sect. XIII fol. 253. b. Fuerunt semper, qui falsa absolute sanctimonie persuasione imbuti, tanquam aerij quidam Demones jam facti essent, omnium hominum Consortium aspernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant Cathari (& qui ad eorum vesaniam accedebant) Donatistæ. Alstedius in Chronol. p. 246. Donatum cum doleret sibi Cæcilianum prelatum esse in Episcopatu Carthaginensi ab Ecclesia communionem sese secrevit, & postea schisma vertit in hæresin, docendo, eam demum Ecclesiam pro vera habendam esse, quæ omni macula & peccato careret. Centuriatores Madeburgenses tradunt cent. IV. cap. V. Donatistas Ecclesiam dixisse nullibi esse, quam in Africa, & quidem tantum esse in parte Donati: Et tempus Donati esse messem Ecclesiæ. Et de Africanis solum dictum esse: Erunt primi, qui erant novissimi deficiente alias toto terrarum orbe. D. Pappus



pus in epit. p. 298. hæc refert de Donato: *Statuebat Ecclesiam eam demum pro vera habendam & sequendam esse, quæ omni macula & peccato careret, & planè perfectam a deoq; Angelicam sanctitatem ab omnibus requirebat, quam etiam in suo illo cœtu esse falsò gloriatur.*

4. De ministerio Ecclesiastico ejusdemq; usu & efficacia, contenderunt Verbum Dei revelatum non esse efficax ad fidem Divinam in hominum cordibus accendendam, nisi, in sola parte Donati. Virtutem baptismi à qualitate ministri suspenderunt, ut efficax ille esset, qui à pio, inutilis, qui à malo administraretur. Negarunt licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & statuerunt ministerium malorum inutile & inefficax esse. Hos errores Donatistis adhibet articulus octavus Augustanæ Confessionis, cuius duæ sunt partes. Una *ἡλιχὴ*, altera *ἀντιἡλιχὴ*, quæ damnat Donatistas & similes, qui primo negabant, licere uti ministerio malorum in Ecclesia: & consequenter secundo sentiebant, ministerium malorum inutile & inefficax esse. D. Haberkorn in disp. inaugur. th. 39. Tom. VIII disp giff Magnus error est, Donatistarum, Catharorum, Swenckfeldianorum, Anapabitarum &c. qui condendunt, Ecclesiam Catholicam non nisi sanctis & perfectis hominibus constare, adeoq; Ministerium Pastorum malorum inefficax esse dicunt, omnem efficaciam ministerij non à Dei ordinatione & institutione, sed à probitate τῶν οἰκονόμων suspendentes. Helvetica Confessio artic. XVIII. Execramur Donatistarum errorem, qui doctrinam & administrationem Sacramentorum vel efficacem, vel inefficacem, ex mala vel bona ministrorum vita estimant. Joh. Crocius comment. de August. Confess. Societate quæst. II. cap. LI p. 707. Negabant Donatistæ, licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.

5. De Baptismo putarunt rebaptizandos esse eos, qui extra communionem suam pabrizati essent. Rebaptizabant ergo Catholicos, si fortè ad ipsorum partes accessissent, quod baptismum, quem Catholici, & ipsorum



opinionem, non missi divinitus, administrassent, non baptismum Christi, sed lotionem profanam esse crederent. *Alstedius* cit loc. *Donatus* vim sacramentorum suspendebat à dignitate personæ administrantis, & ideo baptizatos ab hæreticis, id est, Catholicis & Orthodoxis rebaptizabat. Communiter Donatistæ autoritatem *Cypriani* pro se allegabant; cujus tamen sententia à Donatistarum postea exortorum multum differebat. Quod *Augustinus* libro de unico Baptismo ostendit, Donatistas cum *Agrippino* & *Cypriano* componens: *Rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est Diabolice presumptionis.* Scilicet finxerunt Donatistæ (videntes quippe in reliquis orbis partibus non esse ullos, qui eis suffragentur) totam Ecclesiam defecisse, & in sola remansisse Africa penes Donatum ejusque assecclas, quæ erat aperta hæresis, subruens articulum fidei nostræ: *Credo Ecclesiam Catholicam.* Unde & Catholicos ad se venientes rebaptisabant, ut est apud *Augustinum* hæresi. LXIX. Quale quid *Cypriano* nunquam in mentem venerat, qui neque de hæresi Donatistarum quidquam somniavit, & à schismate quocunque alienissimus tota vita fuit, quippe caritate plenissimus, uti eum *Augustinus* commendat. Quapropter etiam regnare cum Christo in æternum dicitur à *Vincentio*: qui idem Donatistas in sempiternum dicit arsueros esse cum Diabolo, *Commonitorij* cap. 11. Audiamus ipsum *Cyprianum*, ipsiusque mentem, quam suo ex cæterorum nomine expressit in epistola ad *Stephanum* LXXII. *Hæc ad conscientiam tuam, Frater charissime, & pro honore communi & pro simplici dilectione pertulimus: Credentes & tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt. Cæterum scimus, quosdam, quod semel imbiberunt, nolle deponere; nec propositum suum facile mutare; sed salvo inter collegas pacis & concordie vinculo, quedam propria, quæ a quod se semel sunt usurpata, retinere. Quæ in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus; quum habeat in Ecclesie administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus ra-*



tionem actus sui Domino redditurus. Idem Cyprianus e-  
pist. LXXIII sic ad Jubajanum: *Hæc tibi breviter pro no-  
stra mediocritate rescripsimus, Frater charissime, nec præscri-  
bentes, aut præjudicantes, quo minus unus quisq; Episcopo-  
rum, quod putaverit, faciat, habens arbitrij sui liberam  
facultatem. Nos, quantum in nobis est, propter hereticos  
cum Collegis & Coëpiscopis nostris non contendimus; cum  
quibus Divinam & Dominicam pacem tenemus.*

6. De communione sacra contenderunt, non posse bo-  
nos cum malis unum templum ingredi, & ad unum alta-  
re accedere, quin inde polluantur. Imo eò impietatis  
processerunt ut, teste Optato Milevitano lib. II. & VI.  
altaria frangere & Eucharistiã animalibus projicere non  
reformidarint, apud D Henichium in hist. Eccl & civ.  
p. 63. D. Kromayerus de statu Ecclesiarum sub cent. IV.  
pag. 215. Donatistæ, qui & Circumcelliones & Circuitores  
dicti nomen habent à duobus Donatis, Masculitano & Cala-  
mensi, primum schismatici, postmodum heretici, & commu-  
nionem sacramentorum malis commaculati bonos dixerunt.  
Unde & ab Ecclesia secessionem fecerunt, reliquias ejusdem  
apud se conservari prætendentes. Horum superbiam & hypocri-  
sin una cum Swenckfeldianis Anabaptistæ hodie imitantur. Jo-  
han. Crocius ad I. Tim. IV. 2. doctr. III. n. 1. pag. 160.  
Donatistæ sanctitatem adeo profitebantur, ut Ecclesiam esse  
negarent, ubi malorum communione boni macularentur.  
Joh Hoornbeeck in summa contro. lib. CVX. pag. 761. Do-  
natistarum olim vox erat, quod in Communionem Sacramenti  
mali contaminarent bonos. Huic errori opponit S. Au-  
gustinus dictum Cypriani ex epist. ejus LI. ad Maximum,  
quod hic quoque legi dignum judicamus: *Etsi videntur,  
inquit S. Martyr, in Ecclesia esse xizania, non tamen impe-  
diri debet, aut fides aut charitas nostra, ut quoniam xizania  
esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tan-  
tummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus, ut  
cum cæperit frumentum Dominicis herreis condi, fructum pro  
opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua  
dicit: In domo autem magna non solum vasa sunt aurea, &  
argentea, sed lignea & fictilia, & quedam quidem honorata,  
quedam vero inhonorata. Nos operam demus & quantum*  
possu-



possimus, laboremus, ut vas aureum & argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Præcipua hæreseos capita recenset S. Augustinus Tom. VI. lib. de hæres. num. LXIX. ad suum sinceriter dilectissimum fratrem & Condiaconum, his verbis planè emphaticis: Donatiani vel Donatistæ, qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthagenensis Episcopum schisma fecerunt: obijcientes ei crimina, non probata, & maximè quod à Traditoribus Divinarum scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque finitam, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, in hæresim schisma verterunt: tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu quod magis Iudicibus apparuit, falsa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est, atq; in Africa Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta. Audent etiam rebaptizare Catholicos, ubi se amplius hereticos esse firmarunt; cum Ecclesiæ Catholice universæ placuerit, nec in ipsis hereticis baptismum commune rescindere. Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens & contra Cæcilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum. Cui Majorino Donatus Episcopus alius in eadem divisione successit, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari. Extant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam; sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum Sanctum. Verum in hunc quem de Trinitate habuit ejus errorem, Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. Isti heretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent Episcopum mittere: aut hinc illuc Aphri Episcoporum pergere, si fortè ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africa & illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste, & famosissime audaciæ,



non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum & aquarum & ignium seipso necare consuerunt: & in istum furorem alios quos potuerint sexus utriusque seducere, aliquando ut occidantur ab alijs, mortem nisi fecerint comminantes. Veruntamen plerisque; Donatistarum displicent tales, nec eorum communione contaminari se putant, qui Christiano orbi terrarum dementes obijciunt ignotorum crimen Aphrorum. Multa & inter ipsos facta sunt schismata, & ab ijs se diversis cætibus alij atq; alij se separarunt, quorum separationem cætera grandis multitudo non sensit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejusdem erroris centum fermè Episcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem cum eis duodecim qui ordinationi ejus etiam præsentia corporali inter fuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosce etiam extra Ecclesiam dari posse baptismum Christi. Nam quosdam ex eis cum eis quos extra eorum Ecclesiam baptizaverant in suis honoribus sine ulla in quoquam repetitione baptismatis receperunt, nec eos ut corrigerent per publicas potestates agere destiterunt, nec eorum criminibus per sui Concilij sententiam vehementer exaggeratis communionem suam contaminare timuerunt. Ex quibus constat Donatistas ab Orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus pro hæreticis fuisse habitos. Ita enim exsertè D. Henichius in Instit. Theolog. cap. XVI. quæst. XXI. de Donato: *Quin haut contentus schisma fecisse, etiam hæresin de Ecclesia toto orbe, præterquam in una parte Africæ extincta ei adjecit. Vnde & pro hæretico cum suis sectatoribus ab omnibus postea habitus est.* Optatus quidem Milevitanus Donatistas quodam in loco Fratres nominat, sed fratrum nomine utitur significatu generali, quod eodem cum Catholicis Baptismo tincti essent. Fratres appellat, sed non bonos, simplices mentes evertentes, innocentium animos occidentes, Deo maledicentes, fideles rebaptizantes ac schismaticos. Clarius id exponit S. Augustinus in Psalm. XXXII. Tom. VIII. Ergo Fratres ad hanc maximè exhortamur vos charitatem, non solum in vos ipsos, sed in eos etiam, qui foris sunt: Sive adhuc pagani, nondum creden-



*res in Christo, siue divisi à nobis nobiscum caput confitentes, & à corpore separati. Doleamus illos fratres tanquam fratres nostros, vellint nolint, fratres nostri sunt. Tunc esse desinent fratres nostri, si desierint dicere, pater noster. Fratres ergo vocat generali significatione, qui foris sunt, à corpore separati. Fratres qui periere. Si ergo perij, quomodo sum Frater tuus (inquit Donatista, cui resp. S. Augustinus) ut dicatur mihi de te: Frater tuus mortuus erat & revixit, perierat, & inventus est. Fratres dicit, qui non infirmi tantum & carnaliter sapientes, sed & animales carnales: & cum pro iisdem ut oretur, sic fideles obtestatur: Pro infirmis, pro carnaliter sapientibus, pro carnalibus & animalibus, tamen pro fratribus nostris eadem Sacramenta celebrantibus, & si non nobiscum unum tamen, hortamur me dulas charitatis vestrae, fundatis ad Deum preces pro ei. Equidem non desperandos dicit, dum adhuc in hac vita, vel in corpore sunt: Sed quoad usque in Christi corpore non sunt, Spiritu S. destitui docet, fol 79. Tom. II. Isti, cum quibus agimus, vel de quibus agimus, non sunt desperandi adhuc enim sunt in corpore: Sed non querant Spiritum Sanctum, nisi in Christi corpore, cujus habent foris Sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cujus est illud Sacramentum, & ideo sibi iudicium manducant & bibunt. Unus enim panis Sacramentum est unitatis, quoniam sicut Apostolus dicit: Unus panis, unum corpus multi sumus. Proinde Ecclesia Catholica sola corpus est Christi, cujus ille caput est, Salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus, quia sicut ipse dicit Apostolus: Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps Divinae charitatis, qui hostis est unitatis. Non habent itaque Spiritum Sanctum, qui sunt extra Ecclesiam, de illis quippe scriptum est; Qui seiplos segregant animales, Spiritum non habentes. Sed nec ille eum percipit, qui fictus est in Ecclesia quoniam deinde scriptum est: Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Qui ergo vult habere Spiritum Sanctum caveat foris ab Ecclesia remanere, caveat in eam simulatè intrare.*

V.



## V. Donatistarum refutationem.

**D**onatistis in Africa virus hæreticum spargentibus obviam est itum masculè à *Patribus Carthaginensibus & Hipponensibus*. Adversus illos, qui contendebant, nullibi esse amplius veram Ecclesiam nisi in illa parte Africae, in qua ipsi degerent, urget *Optatus* lib. II. inter cætera verba Patris cœlestis Filium Psalmo II. Sic alloquentis: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre: Et subjungit: Permittite Filium possidere concessa: Permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metam? Cur figitis limites? Quid contra Christi merita militatis? Quum à Deo Patre Salvatori toto terra promissa sit, non est quicquam in aliqua parte terrarum, quod à possessione ejus videatur exceptum. Tota est donata terra cum gentibus totius orbis, Christo una possessio est. Hec probat Deus qui ait; Dabo Tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem terminos terræ. Et in LXXI. Psalmo de ipso Salvatore sic scriptum est: Dominabitur à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad terminos orbis terræ. Pater dum donat, nihil excipit: Vos ut concedatis unciam totam libram auferre conamini. Anabaptisum item Donatistarum ita improbat *Optatus*, ut simul fateatur, Catholicos ne quidem illos rebaptizare, qui à Donatistis sint loti. Id o, inquit lib. V. cont. parmenian. quæries à vobis baptizatus aliquis ad nos transitum voluerit facere, venientem tota simplicitate suscipimus. Docet quoque ibidem baptismum non habere vim & efficaciam suam à dignitate ministri baptizantis, sed à Deo. Sordes, inquit, & maculas mentis lavare non potest, nisi qui ejusdem fabricator est mentis. Paulo post initium hujus libri dixerat: Quis nescit singulare baptismum virtutum esse vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, cælestis regni comparationem, innocentie partem, peccatorum naufragium. Has res unicuique non ejusdem ei operarius, sed credentis fides, & Trinitas præstat. Post *Optatum* Donatistis*



Atis præcipuè sese opposuit *S. Augustinus*, varijs in locis, in-  
 primis Tom. II. opp. epistol. CLXII. CLXV. CLXVI.  
 Tom. VII. libris tribus contra epistolam *Parmeniani* Do-  
 natistæ; libris tribus contra literas *Petilianæ*, libros IV.  
 contra *Cresconium Grammaticum*, libris II. contra epist.  
*Gaudentij*, lib VII de Baptismo contra Donatistas, lib. I.  
 de unico Baptismo, contra *Petilianum*, lib. I. de unitate  
 Ecclesiæ contra *Petilianum*, in breviculo collationis con-  
 tra Donatistas, Post collatione contra Donatistas, gestis  
 & sermone super eadem cum *Emerito* Donatistarum Epi-  
 scopo, contra *Fulgentium* Donatistam &c: Hunc spe-  
 ctant diversa Concilia adversus Donatistas celebrata.  
 Primum congregatum fuit Romæ sub *Melchiade*, vel ut  
*Optatus* eum vocat, *Miltiade* Episcopo. Postquam enim  
*Constantinus* ad instantiam *Luciani*, *Digni*, *Hassutij*, *Ca-*  
*piani*, *Fidentij* & aliorum, qui in ipso hæreseos hujus  
 partu à *Donati* partibus erant, Romam ad *Melthiadem* E-  
 piscopum & *Marcum* scripserat, Hi assumtis ex Gallia E-  
 piscopis, *Rheticio* Augustodunensi, *Materno* Agrippinen-  
 si, & *Marino* Arelatensi (quibus cum alij coivere qua-  
 tuordecim Episcopi) causam *Cæciliani* per calumniam à  
*Donato* oppressi, cognoverunt. Quia vero *Donatus* ad  
 novam synodum provocabat, *Arelatensis* indicta est, cu-  
 jus faciem depingit prolixè ipse *Constantinus* epistola ad  
*Christum* Syracusiorum Episcopum apud *Eusebium* lib.  
 X. Hist. cap. V. Conf. *Phil. Mornet* myster, iniquit. p. 42.  
 edit. Salmur. an 1612. Nempe synodus hæc *Cæcilianum*  
 innocentem judicavit, eosque qui cum *Donato* erant, ut  
*Calumniatores* condemnavit. Postmodum Patres Afri-  
 cani Carthagine varia Concilia instituerunt. Celebris  
 est illa sub Imperatore *Honorio* *Collatio Carthaginensis* Ca-  
 tholicos inter & Donatistas habita. Hanc ex *Augustino*  
*Baronius* ad annum Chr. 411. num. 4. verissimè sic descri-  
 bit: *Missus est anno superiori, ab imperatore Insignis Vir*  
*Marcellinus in Africam ad conciliandos cum Catholicis Dona-*  
*tistas qui ejusdem Imperatoris rescriptum, quo juberentur*  
*Donatistæ cum Catholicis ad conferendum de controversijs in-*  
*ter eos diu versatis, in locum unum convenire primum garvit,*  
 sed



sed & dato post quatuor menses edito, decimo quarto Calendas Martias, ut collatio haberetur decimo quarto Calendas Iunias definiuit, idque ex Imperatoris jussu, quo jubebatur eo temporis spacio eos ad causam agendam impelli. Donatistarum causam tenebant *Primianus* causæ Donatistice acerrimus propugnator, *Emeritus* Episcopus Cæsariæ Mauritanie, *Gaudentius* Episcopus Tamugadensis, *Petilianus*. His addit *Papyrius Massonius* in actis tertiæ collationis pag. 537. *Montanum*, *Adeodatum*, & *Habet Deum cum Peregrino*, *Apto*, *Clarentio*, Coëpiscopis eorum. Inter Catholicos insigniores fuerunt *Aurelius* Carthaginensis Episcopus, *Alpius* Tecastensis, *Vincentius*, *Fortunatus*, *Fortunatianus* & *Posidius*, cum *Novato*, *Florentio*, *Maurentio*, *Bonifacio*, *Prisco*, *Severiano*, Coëpiscopis suis: Et qui primo commemorandus erat loco, *Augustissimus Augustinus*, apud Hipponem Episcopus Regius. Collationis objectum seu thesin controversam sistit hanc *Augustinus* brev. collat. pag. 686. *Tota causa in eo comprehensa fuit, ut ostenderetur (ab Episcopis Orthodoxis) Ecclesiam Catholicam, non esse partem Donati, sed illam potius, quæ per totum orbem fructificaret & cresceret incipiens ab Hierusalem, secundum sacram scripturam; nihilq; ei præjudicare, quicumque in ea mali fuissent, Divino in fine iudicio separandi.* Brevius: *Quæstio erat: num ex peccatis hominum Ecclesia Catholica illud detrimentum patiatur, ut ipsa sancta atque Catholica esse desinat.* Ita *Baronius* ad ann. Christi. 41. II. n. 28. Catholicos demonstrabant toleratos à bonis in Ecclesia malos, nec bonos malorum contagione pollutos, partim exemplis luculentis, *Prophetarum*, *Christi* & *Apostolorum*, partim similitudinibus Evangelicis, inter quas communissima de *zizania* & *tritico*, unde dissensio nata propter mundi nomen, quo Donatistæ volebant intelligi Ecclesiam, cum scriptum sit Matth. XIII. *ager est hic mundus, & multa testimonia protulerunt, quibus scriptura sacra mundum non nisi malos commemorasset: Sicuti est; qui dilexit mundum, non est charitas Patris in illo I. Joh. II. & cætera talia, ut quasi ex hoc ostenderet, mundi nomine, Ecclesiam significari minime potuisse.*

Con



Contra Catholici alia testimonia proferebant, quibus in bono mundi nomine positum ostenderetur, sicuti est; Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians I. Corinth. V. & cetera hujusmodi, ubi ostenderetur Ecclesia, quoniam ipsa utiq; per Christum reconciliatur Deo. Regerebant Donatistæ: Contagium peccatorum nova indies capere augmenta, malis in Ecclesia toleratis. Eos, qui consortia impiorum amant, vel communicant eorum sceleribus, cum illis etiam impingere & ruere, quod Iudæis acciderit consortio Israelitarum. Respondebant Catholici, ignoratis peccatis alienis neminem maculari posse, sicut pisces latentes in fluctibus, quamvis jam inter retia, non vident piscatores, sic latentes malos in Ecclesia nescire Sacerdotes, & ab eis minimè pollui. Concludebant: Malos in Ecclesia sic non esse permixtos, ut quamvis debeat vigilare Ecclesiæ disciplina, ad eos non solum verbis, sed etiam excommunicationibus & degravationibus corripiendos, tamen non solum in ea latentes nesciantur, sed plerumq; propter pacem unitatis, etiam cogniti tolerantur. Vid. August. Brev. coll. c. I cum Don. Tom. VII. capp. VIII. IX. X. Urgebant præterea Donatistæ; confiteri se in Symbolo Apostolico unam Ecclesiam: Atqui per Catholicorum sententiam duas introduci; Id quod sit *ἀσύντακτον*, Minimè omnium (ita vicissim Catholici) sed eandem ipsam unam, sanctam Ecclesiam, nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram; sicut nunc mortales, quod ex mortalibus constaret hominibus, tunc autem immortales, quod in ea nullus esset vel corpore moriturus. Dictum etiam est, de homine exteriori & interiore, quæ cum sint diversa, non tamen dici duos homines, quanto minus dici duas Ecclesias, cum iidem ipsi, qui nunc tolerant permixtos malos, & resurrecturi moriuntur, tunc nec mixtos malos habituri sint, nec omnino morituri. De ipsa quoque numero, quoniam Donatistæ scripturarum testimonio, unam Ecclesiam commendarunt, velut contra duas quas Catholicos affirmasse jactabant, responsum est à Catholicis: Etiam multas Ecclesias in scripturis inveniri dictas, & septem ad quas Iohannes scribit, quæ tamen multe, illius unica membra esse intelligerentur; ut hinc appareat, multa

mi-



minus sibi debere objici duas, cum eandem ipsam dixerint non talem nunc esse, qualis in resurrectione futura esset, quandoquidem Apostolicis literis non objiciantur multæ, ex quibus ipsis una constaret. Nempe Donatistæ olim Catholicis objiciebant, quod duas facerent Ecclesias; sed responderunt Catholici, se tantum distinguere partes, quia aliter boni, aliter mali ad Ecclesiam pertinerent: Bonos enim esse partem internam & quasi animam Ecclesiæ; malos esse partem externam & quasi corpus. Hunc sensum ex Augustino repetit ac probat Bellarminus lib. III. de Ecclesia cap. IX. p. 74. H. 275. A. his verbis: In collatione tertie diei refert Augustinus, Donatistas coactos fateri esse in Ecclesia bonos & malos, prolata à Catholicis illa parabola de reti pisces bonos & malos congregante: sed dixisse adhuc Donatistas, tantum occultos malos esse in Ecclesia; sicut in reti, dum est in mari non discernuntur à piscatoribus pisces boni à malis, sed in littore discernuntur, & mox separantur. Ad hoc autem dicit respondisse Catholicos, propterea Ecclesiam comparatam etiam esse arcam, in qua discernuntur paleæ, à frumento, immò magis apparent paleæ, quam frumenta: & etiam Arca Noë, in qua etiam post egressum corvi, quo significantur heretici, adhuc remanserunt palam animalia munda & immunda. Addit etiam Augustinus, quod cum calumniarentur Donatistæ, Catholicos duas Ecclesias facere, unam in terris, que haberet bonos & malos: alteram in calis, que non haberet, nisi bonos: Responderunt Catholici, se non duas Ecclesias facere, sed distinguere duo tempora Ecclesiæ: Eandem, inquit, ipsam unam & sanctam Ecclesiam dixerunt nunc esse aliter, tunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram. Sicut non idem duo Christi sunt, quia aliquando mortalis aliquando immortalis fuerit Christus. Hæc ex Augustino Bellarminus. Hoc observare velim Illos, qui in doctrina nostra sugillant, quasi fingamus duas Ecclesias, unam veram, quæ sit congregatio sanctorum, & alteram externam, quæ nomine tantum sit Ecclesia, & in hac bonos malosque inveniri. Verum non duplicamus Ecclesiam; neque duas ejus species comminiscimur.



sed unam eandemq; dicimus considerari, vel *ἕσως* & quoad essentiam seu communionem, vel *ἕξως* & quoad existentiam, seu externam communionem. Priori modo considerata constat vivis duntaxat membris; posteriori autem modo admixta simul habet membra mortua. Scimus *Donatistas* hunc errorem fovisse; *Ecclesiam* periisse de cæteris gentibus, & in sola *Africa* remansisse. Hæc nos non tangunt. *Ecclesiam* in toto mundo, in quibusvis *Ecclesiis* particularibus Christo colligi, nec certo vel loco, vel genti astrictam, asserimus. Non superbimus *Ecclesiæ* titulo, absq; doctrinæ *Apostolicæ* consensu. Nec consistit veritas in externa quantitate. Quicumq; enim de ipso capite (*Christo*) ab *Scripturis sanctis* dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus *Ecclesia* designata est, non sunt in *Ecclesia*, *Augustinus* inquit lib. de unit. Si autem *Ecclesia Christi*, *Judice Eodem*, *canonicarum Scripturarum Divinis* & certissimis testimoniis in omnibus designata est, sufficit nobis. Ergo in *Scripturis sanctis* *Canonicis* eam requiramus non in terrarum locis vel angustiis vel spaciosis.

## VI. Donatistarum confu- sionem.

**O**Mnem moverunt lapidem *Impp. Constantinus, Constantinus, Valentinianus, Honorius* aliiq; , quo ad pacem & concordiam reducerentur *Donatistæ*. Tentarunt hanc factis ac verbis, tum amicis, tum seriis. Inprimis Imperator *Honorius* severas contra Eosdem tulit leges, quæ tantam habuerunt vim, ut non pauci *Donatistarum* sectæ valedixerint, & ad *Ecclesiam Catholicam* redierint. Ita enim *Augustinus* refert epistola L. ad *Bonifacium*: Iam verò, quum ipse leges venissent in *Africam*, præcipuè illi, quæ querebant occasionem, aut servitiam furentium, metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad *Ecclesiam* continuo transierunt — adeo ut magna agmina populorum vera mater (*Ecclesia*) in sinum reciperet, & populi per plurimas *Africæ* regiones ab illa perditione liberati ad hymnos audiendos



& canendos, & ad verbum Dei percipiendum celebres hila-  
 resq; conventus instituerent, & cum dolore magno prateriti  
 erroris recordarentur. Et Epist. XLIX. ad Vincentium:  
 De multorum correctione gaudemus, qui tam veraciter unita-  
 tem Catholicam tenent atq; defendunt, & à pristino errore se  
 liberatos esse letantur, ut eos cum magna gratulatione mire-  
 mur. Et rursus: O si possem tibi ostendere, ex ipsis Circum-  
 cellionibus, quam multos jam Catholicos manifestos habeamus,  
 damnantes suam pristinam vitam, & miserabilem errorem,  
 quò se arbitrabantur pro Ecclesia Dei faceres, quicquid inque-  
 ta temeritate faciebant, qui tamen ad hanc sanitatem non  
 perducerentur, nisi legum istarum, quæ tibi displicent, vin-  
 culis, tanquam phrenetici ligarentur. Vide ibidem plura.  
 Tanta per leges Honorii ad Catholicam unitatem facta fu-  
 it accessio. Sed & per collationem Carthaginensem egre-  
 giè in ordinem redacti sunt Donatistæ, & pax Ecclesiæ pro-  
 mota. Egregium sanè S. Augustino eo ipso nomine accinit  
 Ἐπιβίβατον Possidius in vita cap. XIII. De his omnibus pro  
 pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus & hic palmam dedit,  
 & apud se justitiæ coronam reservavit: ac magis magisq;  
 iuvante Christo, de die in diem augebatur & multiplicabatur  
 pacis unitas, & Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maximè fa-  
 ctum est per collationem, quæ ab universis Episcopis Catholi-  
 cis apud Carthaginem cum iisdem Donatistarum Episcopis  
 postmodum facta est, adjuvante gloriosissimo & religiosissimo  
 Imperatore Honorio, propter quod perficiendum etiam à suo  
 latere Tribunal & Notarium Marcellinum ad Africam Iudi-  
 cem miserat. In qua controversia illi omnibus modis confu-  
 tati, atque de errore à Catholicis convicti Sententiâ Cognito-  
 ris notati sunt, & post eorum appellationem piissimi Regis re-  
 sponsa, justè inter hereticos condemnati sunt. Tandem,  
 quoniam Donatistæ Catholicos non tantum convitiis pro-  
 scindere, sed etiam persequi & trucidare non dubitarunt,  
 S. Augustinus imperiale brachium contra eos invocare est  
 coactus. Insectamur, ait epist. L. vi potestatis secularis he-  
 reticos, non quia fidem deseruerunt, sed quia illi Catholicos  
 usque ad necem persequuntur. En vererem gentium Donati-  
 sticam! Hic quomodo in hodiernis Labadianis maximam  
 parrem rediivus factus, sequens manifestabit deductio.